Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2239
Quelle:
Copyright:

in ſupplicijs &c. In *Hardtii Praef.* T. V. p. 24. prave *Hotricus* pro *Henrico.*

Fol. 427. p. 2. *Sermo factus poſt receſſum olim Johannis pape.* Potius poſt illum Menſe *Majo* 1415. Concilio redditum; quaerit enim Orator: *Cuius enim putas robur aut potencia fuerat, que olim iohannem papam poſt eius turpem fugam ad manus ſacroſancti reduxit concilij?* Et iterum: *Quis precor ymaginari potuiſſet, Johannis ſummum principatum tam inopinate tam ſcandaloſe tam viliter euacuari, Gregorij vero* (ſponte Papatu cedentis) *ſtatum in melius, ſi dicere libeat, et cum honore commutari?* Thema: *Sufficientia noſtra ex Deo eſt* &c. Initium: *Siue enim teſte philoſophorum principe nusquam perfecte ſcitur concluſio, niſi in ipſa reſoluantur principia* &c. Dixit in eundem eventum *Joh. Gerſon*, ſed tertia mox poſt fugam die, ut habes *Labb.* T. XVI. *col.* 1311.

Fol. 430. *Notabile* Fragmentum ulterius illius Sermonis, cujus *Exordium* dedimus *fol.* 281. *Diſſipa colligationes* &c.

Fol. 431. p. 2. *Sermo magiſtri Mauricij de praga. Habeo vobis dicere* &c. ut *Labb.* T. *cit. col.* 1375.

Fol. 439. *Sermo magiſtri Tithedrici.* Puto *Theodoricum de Monaſterio* Univ. *Colon.* Oratorem ſaepe auditum in Concilio. Praeter adlata a nobis video Sermonum unum et Excerpta alterius edita ab *Herm. Hardtio* in *Hiſt. lit. Reformat.* quae ad manum non eſt, Excerpta item alterius, cujus Thema: *Ite et vos in vineam meam* &c. T. V. *Actor. Conc.* in *Prolegom.* p. 23. Praeſens in illud: *Vade in domum tuam. Math.* 8. incipit: *Creator et gubernator tocius creature deus ſumma bonitate plenus* &c. et ipſe reformationem ſtrenue urget. Ita occaſione *Amalech* i. e. *populi lambentis* ait: *Vnus lambit beneficium eccleſiaſticum, alius lambit pecunias pro beneficio, vnus lambit ordinem ſacrum, alius lambit precium, quod exigitur, vnus lambit ingreſſum religionis, alius lambit emolumentum retribucionis, vnus lambit abſolucionem peccatorum, alius lambit augmentum denariorum, vnus lambit defenſionem ſue iniuſticie uel erroris, alius lambit mercedem iniquitatis* &c.

Fol. 447. p. 2. *Sermo de paſſione Domini noſtri Saluatoris. Exclamavit voce magna et dixit, Domine Deus* &c. *Dan.* 13. Initium: *Secundum Auguſtinum ad pacientem pro nobis debemus aſpicere* &c. Inducitur per totum Mater Chriſti paſſionem Filii enarrans. Nil igitur Rerum conciliarium.

Fol. 461. p. 2. *Sermo*, ut in calce, *Epiſcopi thlonenſis.* Lege *Vitalis Tolonienſis* ſeu *Telonis Martii* in *Provincia.* Notat hunc Sermonem *de Epiphania Hardtius* e Cod. mſ. *Prolegom.* T. V. p. 26. non tamen excerpit. Thema: *Magi invenerunt puerum* &c. *Math.* 2. Initium: *Ex his verbis elicitur infertur et deducitur transformacio mirabilis* &c. Neque hic aliquid ad Concilii Hiſtoriam.

Fol.